

est, omnia in eodem statu permanere. Nulla igitur tunc subest sufficiens ratio, cur, qui remedium tenet auadendi, ab altero, qui id non tenet, illo possit spoliari: et quia quisque hocce suum remedium iure tueretur, iniustum omnino esse oportet aggressorem, qui id alteri conatur eripere: sed et iura dedisse repugnantia a diuini legislatoris sapientia omnino abhorret.

CCCXCIV. Ex hisce autem manifesto conficitur, vt qui fame periturus est, panem alteri aequè necessarium iure auferre minime possit; vt nemini hominem esse consentientem occidere fas sit, vt eo in summa inopia vescatur; vt illi, qui e naufragio secus nequit enatare, alterum de scapha vel tabula, quam iure tenet, depellere minime liceat; vt denique homini mediae viae interposito, nec de illa declinare valenti, certam necem inferre, et ita facilitare fugam legi naturali perfectae adnerferur. Et quae huius sunt generis. Ceterum conuenire aliquando caritati alterum alteri cedere, iam supra docuimus.

## CAPVT XII.

### *De officiis circa significationem mentis.*

CCCXCV. Is mentem suam declarat, qui actionem animae internam, veluti cogitationem, aut volitionem alteri notam facit. Quod quum praestari nequeat sine aliqua actione externa, quae internae signum sit, consequens est, vt, qui animi sui sensa significare, seu loqui generatim intendit, ei signa quaedam adhibenda sint exteriora, quae actionibus internis tam illius, qui easdem significat, quam eius, cui haec significatio fit, respondeant.

CCCXCVI. Est autem mentis declaratio alia expressa, si verbis seu sonis articulatis, scriptura, vel quibuscunque aliis certis ac determinatis signis, veluti

maniloquio, pediloquio utamur, alia *tacita*, quando ea facta ponuntur, ex quibus habita loci, temporis, ac reliquorum adiunctorum ratione, agentis intentio probabiliter colligitur, iuxta id, quod plerumque accidit.

CCCXCVII. Quemadmodum actiones nostras omnes cum fine ultimo conspirare oportet, ita officium generale et absolutum fermocinantis est, ut toties animi sui sensa alteri communicet, quoties sine hoc remedio diuinum cultum, sui, ac aliorum perfectionem non posset promouere: contra vero a quacunque locutione abhorreat, quae amoris tam summo Numini, quam sibi atque aliis debito aduersatur; quod ex traditis antea pietatis philantiae, iustitiae ac aequitatis officiis abunde illustrare licet.

CCCXCVIII. Quoniam aliquando tacere, aliquando autem loqui obligamur, consequens est, ut intermissio locutionis, seu *silentium* iam ad actiones praecipuas, iam vero ad prohibitas pertineat; in prioribus virtus *taciturnitatis*, in posterioribus vero vitium *reticentiae* positum est. Et quia occultatio actionis externae, quae proderet internam, quomocunque facta *dissimulationis* venit nomine, persepatet, nec omnem dissimulationem licitam, neque omnem illicitam esse posse, et propterea hanc inter actiones, quae spectata sola notione vocantur indifferentes, esse numerandam. cf. I. Reg. XV. 2. et D. AUGUSTIN. *lib. contr. med. c. X.*

CCCXCIX. Qui signis externis utitur ad id, quod cogitat, significandum haud receptis, ille animi sui sensa alteri non declarat, neque efficit, ut ab eodem intelligatur; itaque aut eum ludificat, aut *fallit* siue inducit in errorem, laeditque; quapropter aut seruare silentium, aut, obligatione loquendi existente, iis uti signis necesse erit, quae ad mentem declarandam sunt idonea; hinc facta vel vocabula adhibere, prout communis fert usus. v. HORAT *art. poet. v. 73.*

CCCC. Quemadmodum veritas generatim vacuitas est

est a repugnantia: ita *veritas logica* in conuenientia *ideae* cum subiecto, in quo veritatur, *veritas* autem *moralis* in concordia verborum, vel paris alterius signi cum mente reperitur; ex quo perspicuum est, quatenam *falsitas logica*, quatenam *moralis* sit dicenda.

CCCCI. Ex hisce simul patet, alios esse sermones veros, *veriloquia*, et alios sermones falsos, *falsiloquia*, ac ambo quidem tam logica, quam moralia: aliquando tamen, quae moraliter vera sunt, posse esse logice falsa, et vicissim: et quia actio externa, quae cum interna consentit, dicitur *sincera*, quae autem dissentit, *simulata*, non obscurum est, *veriloquia* moralia esse actiones sinceras; contra actiones simulatas esse aut in verbis, *falsiloquia* moralia, aut in factis, *simulationes* strictè sumtas.

CCCCII. *Locutio contra mentem cum intentione alterum fallendi est mendacium*: \* Hoc aliud *externum* esse dicunt seu *perniciosum*, quod ad alterius dirigitur iniuriam, aliud vero *internum*, et quidem vel *iocosum*, si iucunditatis et oblectationis tantum causa sit confiatum, vel *officiosum*, si plane quis aliorum vtilitatem ac commodum falso sermone conatur promouere. \* cf. D. AUGUSTIN *Enchir. C. 22.*

CCCCIII. Quoniam primo nulli inferenda est iniuria, dein omnis verbi otiosi, et temere prolati rationem reddere oportet, ac denique vni mala intentare, vt alteri feratur auxilium, minime licet: in aperto est, omne mendacium, vtpote locutionem simulatam obligationi tacendi vel tacendae veritatis repugnantem, a lege naturali abhorrere, nosque ad *veracitatem*, quae est proliuitas mentis ad ea loquenda, quae a cogitatis non sunt aliena, omnino esse obstrictos, *Prouerb. XIII. 5. Psalm, V. 7. Coloss. III. 9.*

CCCCIV. Plenam itaque notionum mendacii non dant illi, qui vel falsam locutionem iuri alicuius perfecto, aut imperfecto contrariam, vel falsiloquium cum damno alterius coniunctum, id definiunt. Illum enim

enim

enim non mentiri, qui, cum nullo peculiari vinculo mentem aperiendi esset obstrictus, falsitates tamen enuntiat morales fallendi animo, utique a communi hominum sensu abhorret. Semper enim obligatio illa generalis violatur, quae ducitur a socialitate, et sermonis scopo, quaeque ab eo contrahitur, qui, dum alterum alloquitur, eo ipse praesefert, eidem, in falsas locutiones haud consentienti, veritatem se dicturum.

CCCCV. Allegoria est continuatio sermonis a propria significatione ad aliam translata ob similitudinem. Quorsum *fabulae*, *apologi*, aliaeque locutiones figuratae pertinent. Quum igitur tunc verba non disconveniant a mente, differt allegoria a falso loquio morali; nec ea quidquam vitii involuit, quia is, cum quo loquimur, si docilis sit, mentem nostram, et veritatem cognoscere satis potest. Aliud foret, si peculiaris daretur obligatio clare, et aperte cogitationes declarandi, adeoque etiam verba in sensu proprio adhibendi.

CCCCVI. Verba *ambigua* sunt, quae ex communi loquendi usu plures admittunt significationes; posita igitur obligatione animi nostri sensa clare manestandi, sermone ambiguo oportet abstinere. Contra ad eum recurrere licebit, si nullo iure a nobis exigatur veritas, sermo autem apertus ei, cui honeste non possumus non respondere, parum aut nihil commodi, nobis vero aliis ne maius detrimentum esset adlaturus; nec enim tunc decipimus audientem, sed permittimus, ut a semetipso fallatur. v. *Gen.* XX. 2. GROT. III. c. 1. §. 8.

CCCCVII. Simulationes factis constant ambiguis, quae diversa recipiunt significata; igitur, quae de sermonibus obscuris modo sunt tradita, etiam simulationibus erunt adplicanda. Et sane quum huiusmodi tacitae declarationes signis tantum fiant probabilibus, nec communi voluntate introductis, a libertate cuiusvis naturali pendebit eadem etiam contra morem conuetum vsurpare: dummodo nihil agatur, quod obliga-  
tio-

tionem alteri veritatem aperiendi, et ipsius praecauendi errorem violaret. I. Reg. XIX. 13.

CCCCVIII. Sed nec omne falsiloquium morale, si nimirum absit fallendi animus, mendaciorum numero recte adscribitur. Quare mendaces haud sunt censendi, qui sine dolo malo verba a cogitationibus dissona enuntiant, veluti furiosis, mente captis, infantibus, noctambulonibus, vel iis, quibus praedictum est, falsa narratum iri, quique iuri sciendae veritatis permissiuo renuntiantes se falsas audire velle locutiones declarant. Quod ipsum obtinet, etsi is, cum quo non loquimur, cuique mentem nostram occultare oportet, inde errandi caperet occasionem.

CCCCIX. An autem mendacii genere et illud falsiloquium morale contineatur, quo quis, orto officiorum conflictu, eo tantum animo vititur, ut legi per se fortiori, veluti hominem ab interitu liberandi satisfaciat? quaestio est, ut iam observauerat D. Augustinus, *latebrosa et inter doctos alternans*. Plurimi cum eodem affirmant, quod huiusmodi locutiones dissensum pariant in agente, adeoque imperfectionem; nullus autem fingi casus possit, in quo a natura et sine sermone liceat declinare.

CCCCX. Addunt porro veritatem vita esse pulchriorem; quod qui negent, illos viam aperire mendacis, et fortissimum humanae societatis vinculum discindere; illud denique potissimum urgent; huiusmodi falsum sermonem diuinae veracitati aduersari; nullum autem antiquius officium esse ducendum, quam quod in non obsecuratione diuinae gloriae collocatur: verissime igitur docere Hebraeos, *se quis norit uti perpexiloquio, recte, sin minus, taceat*.

CCCCXI. Ast fuere etiam olim inter Ecclesiae Patres, suntque hodie inter catholicos doctores, qui falsiloquia ita prolata turpitudinis arguere non sunt ausi: quum enim, existente legum pugna, lex fortior praefenda sit debiliori, putant, legem, quae vult hominem

nem seruari incolumem, ea, quae alterum inducere in errorem vetat, esse fortioerem. Omnem, dicunt, abesse malitiam, si is, cum quo loquimur, consentiat in errorem; teneri autem quemlibet in id consentire, quod cum nulli aut plane modico sibi sit detrimento, ad alterius salutem expediendam pertineat.

CCCCXII. Denique legem caritatis autumant reliquarum esse mensuram: hanc vero postulare, ut officia *necessitatis* reliquis omnibus praeualeant, dummodo pietas erga Deum nullo modo violetur: nihil autem ab eo, qui, ut hoc utamur, alterum seruaturus venenum quod est, venenum esse negat, committi, quod aliquam de Deo imperfectionem adsereret, aut infinitam eius veracitatem in dubium reuocaret: etiam homicidi et rerum alienarum ablationes esse natura turpes, mala autem haec esse definire, si, posito obligationum conflictu, recta exceptio instituat, atque hoc modo obsterices aegyptiacas, et mulierem Rahab ab omni culpa exculant. *Exod. I. 19. 20. Iosue II. \**

CCCCXIII. Fuere, qui ut hisce difficultatibus occurrerent, *reseruationes mentales*, seu internas excogitarunt, sed hi magna minati, extricarunt nihil Designant autem hoc nomine sermones, qui tum primum verum sensum habent, si vocabula in mente retenta iis adiciantur; veluti si interrogatus: an *litteras sibi exhibitas exaraverit*, eas se scripserit neget, subaudiendo *Romae*, cum *Viennae* eas scripserit; quum autem huiusmodi sermones re ipsa a mente dissentiant, nemo non videt, eorum inuectores vel egisse nugas latebras mendacis quaesuisse.

CCCCXIV In eodem profus luto haerent illi, qui reseruationem pertaesi ita rem expediri posse arbitrantur, si aut quod quis scire se negat, de cognitione, quem

\* Rarissimi eruet profecto huiusmodi casus, et forte *se-*  
*rius* erit a paucis etiam instam aliquam exceptionem non ac-  
cipi, quam aliquam ab omnibus tentari. SENEC. bon.  
VII. 16.

quam cum altero communicare fas sit, intelligat, aut vero si vocabula in eodem rerum statu omni carere significatione adferamus; si quidem genus humanum, quod verbis vim tribuit ac potestatem, id ipsum tunc voluisse censeatur. Prioris enim opinionis auctores doctrinam reservationum recoquunt; qui vero posteriorem sunt amplexi, animaduertere debuissent, malitiam non in physico verborum sono, sed in voluntate fallendi reperiri.

CCCCXV. Reservationes *externas*, seu, ut vocant, non *pure mentales* quod attinet, quas scilicet ex natura negotii, vel aliis signis sensibilibus acutus auditor deprehendere potest, facile admittunt omnes, ad eas tunc perfugere licere, quoties quis veritatem nude patefacere non obligatur, sed potius eius obtegendae iusta subest causa: etsi enim, aiunt, loquens verum sensum ab audiente non perceptum iri confidat, is tamen non alterius intendit deceptionem, sed occultationem veritatis, ipsius autem errorem solummodo permittit. Quoniam vero huiusmodi reservationes re ipsa sunt sermones ambigui seu amphiboliae: quoniam harum sit moralitas, iam supra fuit ostensum.

## CAPVT XIII.

*De dominio, eiusque acquirendi modo simpliciter originario, siue occupatione.*

CCCCXVI. Egimus hactenus de officiis erga alios absolutis: nunc sequuntur hypothetica, quaecumque a natura, tum simul ab aliquo hominum instituto atque eorum factis deriuantur. Ac primo quidem sese offerunt specialia rerum iura; quod enim supra cuique adseruimus ius ad res necessarias indeterminatum, nec ulli certae rei adhaerens, illud, quoniam ex sola fuit hominis natura, et in omnibus aequaliter reperitur, ad iura connata et vniuersalia spectat.

CCCCXVII.